TIARA ULTIMI HONORIS

VIRO

SUMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO CLARISSIMOQVE

DNO. PAULO HOFMANNO,

SS. Theolog. Doctori,

Templi Thoruniensis ad D. Mariæ Pastori meritissimo,

Ministeriiqve, qvod ibidem est, Seniori gravissimo,

Theologo

in variis Casibus Ecclesiasticis exercitatissimo,

Collegæ & in CHRISTO Patri honoratissimo,

Anno χριστογονίας *M. DCCIV. Dominica Jubilate*,

Cum Is in Templo Mariano honorificis Ceremoniis

conderetur,

grata manu imposita

à

MINISTERIO THORUNIENSI EVANGELICO.

THORUNII.

EX OFFICINA NOBILISS. SENATUS ET GYMNASII.

EMeritum diuturna fides longiqvè labores
Fecerunt merito TE, VENERANDE SENEX.
Qvos per tot mundi mala fata, malosqvè dolores
Sincero Christi pro grege sustuleras.
Sed Tibi justitiæ Censor Judexqvè coronam
Imposuit, nullo qvæ redimenda solo.
Hæc est nostrorum tandem suprema laborum
Meta, nec hâc melior meta laboris erit.
Qvam sub conspectum dabit hora novissima qvondam
Supremum sonitum qvando celeusma dabit.
Nam qvi victores tot tantorumqvè fuerunt
Bellorum, referent præmia digna polo.

*

Anno qvo publicis privatisqvè votis precamur,
CastIgatIs, ô DoMIne beLLa prosInt!

Huce exiguis, pie defunctum Excell. Virum, Dn. Ministerii Seniorem & ætate gravem, Affinem colendum, ad tumulum qvietis comitari voluit, Senex

MICHAEL Ringeltauben/
Eccl. Neopol. Thoruu.

INstabant foribus templi solennia Paschæ,
Sacraqve erant uno non peragenda die;
En cadit HOFMANNUS Doctrinæ nobile fulcrum,
Fracta jacet sacri magna Columna Chori,
Desinit & celebris sanos ambone referre
Sermones *Senior, Pastor Amorqve gregis.*
Scilicet heic cessans cœlo *pæana* receptus
Spiritus ut cantet sacraqve Festa paret.
Festa parat tribus haud nunc conficienda diebus,
Sed qvæ perpetuo continuanda die.
Hoc vos soletur Lugentes morte peremptum:
Cœlica nam Paschæ festa securus agit.

Novissimis Honoribus desideratissimi ac beatissimi Domini Senioris, Theologi de Ecclesia Christi optimè meriti, inter concatenatos Labores dicabat

M. GODOFREDUS WEISSIUS,
ad D. Mar. Eccl.

HEu qvoties multis ex vulnere vulnera fiunt!
Heu qvoties veniunt tristia fata piis!
Cum fragili nuper DZICOVIUS exiit ævo,
HOFMANNI Conjux mox seqvebatur eum:
Nunc thalami sociam comitatur & ipse maritus,
Confectum senio, molleqvè corpus habens.
Non tamen Antistes sine felici omine migrat,
Cum lux exitiis stat positura modum.
Prædicat in Palmis lacrymis mortem Crucifixi
Pro nobis miseris, flente DEI populo;

Ecce

Ecce seqvente die mortis prognostica sentit
Cygnus, cantator funeris ipse sui:
Proxima donec ei renuit nox vota caduca,
Et finem vitæ sic facit ante diem.
O qvanta inconstantia, vernâ incertior aurâ,
Namqvè salus vitæ debilitata fuit!
Sed superatis omnibus his ad jubila Cœli,
Exit, qvo Christo consocietur ibi.
Sic valeat PASTOR, DOCTOR, SENIOR venerandus,
Tempe cui reqviem, nunciat aura vale.

Supremis honoribus meritissimi de Ecclesia Christi Vir i ponebat

MARTINUS OLOFF,
Eccl. Polon. ad D. Mar.

IN pejus dum Cuncta ruunt, dumqve exulat Orbe
Bello pulsa Qvies, Cœli dum Pax petit Astra,
Proh! HOFMANNUS obit, Terræ Vitæqve misellæ
Ereptus, linqvens Mundum, Lernamqve Malorum!
Eheu! Res Hominum miseras! Qvid Vita caduca est,
Qvàm Luctum luctû mutare, dolore Dolorem,
Et lacrymas serere ex lacrymis, pejora timere
Post Mala perpetuò, post Nimbos Fulmina Divûm?
Felix, qvi placidè dulci decumbit JESU!
Felix HOFMANNUS NOSTER, qvi Morte Piorum
Extinctus, potuit Cœlestem attingere Portum,
In CHRISTI vincens pretioso sangvine cuncta!
Nos miseros circum scopulosis murmurat Undis
Navifragum Pelagus: Nos tot transversa frementes
Concutiunt Venti, tot monstra Marina lacessunt,
Qvot Mare Trinacrium sævo vix noverat Æstû.
At verò Luctûs omnes, & qvicqvid Homullos
Affligit miseros, *Tusses, Asthma,* atqve *Catarrhos,*
Et *Phtisin,* & *Vomicas* putres, turpesqve *Podagras,*
Sic *Hypochondriacum* qvoqve cum *Pleuritide* dirâ
Nunc vicit NOSTER: qvin omnia spicula Mortis
Evasit. Summo Cœli splendore serenus
Nos lugere vetat, dicens: *Vos flere Beatum?*
Ossibus exhaustis, gelidâ qvæ condimus Urnâ,
Sit Pietatis Honor! Divis dominetur in Oris
Spiritus, & Mentem recreent sancta Otia Cœli!

Ita B. DNO SENIORI gratulatur felicem ex infelici Vitâ Emigrationem

SAMUEL Schönwaldt/
Ecclesiastes Neopolitanus.

EHeu dum qværitur! CHRISTUM jam morte cadentem
HOFMANNUS Doctor, moxqve repente cadit.
At non incautum mors insidiosa peremit;
Hæc prævisa ipsi cuncta fuêre diu.

Du-

Dudum permultis votis optaverat ire
Ocyus ad portum, CHRISTE benigne, tuum.
Nunqvam fine malo vitæ luctamina claudit:
Cui sanctè cura est qvottidiana mori.
Non mala mors, cita mors: mala mors, mala vita: beatus,
Seu citò, seu tardè, qvi benè vixit, obit.

CHRISTOPH. RAZKI, Eccles. Polon.

EFfudit meritò lacrymas Ecclesia CHRISTI,
Ipsius attonito pectore fata dolens;
Fata, qvibus ligno plantas & utrosqve lacertos
Distentus nostrûm crimina morte luit:
Ast gemitus geminos geminavit funere raptum
Tam subito cernens concio tota Virum.
Namqve illo mortem Christi qvo tempore luxit,
Hunc orsa est madido lumine flere Virum.
Novit enim, qvanto verbum cœleste labore
Usqve inculcârit cordibus ille piis.
Deliciæ populi, Musarum cura, Sacerdos
Jovæ verbipotens occidit, inde dolor!
Nec mirum, gravitate Virum pietate Senemqve
Cum Simeone piæ solvere jura neci!
Ultima narravit morientis verba Magistri,
Ipseqve nunc clausit cum moriente diem.
Nunc ubi fata animam cœlis retulere solutam,
Doctrinæ fruitur justitiæqve bonis.

In honorem B. D. Senioris sacrum esse jussit
DANIEL Köhler / ad Æd. D. Mariæ in Patria Eccles.

O HOFMANNE; Decus Thoruni, splendide Mysta,
Presbyterûm Senior, faxqvè Lucerna Chori!
TEqvè VIRUM cur mors dignum rapit atra Decorum?
Cur Sobolis bigam cumqvè Nepote piam
Linqvis plangentem, cur rostra, Chorum qvoqve JESU?
Filius Eximius culmen honoris adit,
Gaudia mille parans GENITORI Devenerando;
Ast cadis ac fundis vota precesqvè DEO,
Pro Cathedris, cœtu, Symmistis, Progenieqvè.
TU facie TRIADIS jam recrearis ovans.
Jam post transactos vitæ officiiqvè Labores
Deliciis frueris, læta brabea gerens.
Hos sed soletur cunctos solamine CHRISTUS,
Omnipotens Dominus, fons & origo boni.

GODOFR. CHOL. Gremb. Rogow. & Lubic. Eccles.

QVi pietate suâ solers fidusqve Sacerdos
Claruit, & pavit dexteritate gregem.
Qvi docuit populos, & dogmate relligioso
Imbuit, & duxit promptus ad astra viâ.
Qvi fuit Antistes Thoruna clarus in Urbe;
Summi Pontificis jam diadema tenet.
Is qvoqve post mortem fertur super astra perennis,
Ossa licet functi, terra lutosa tegat.
Terra lutosa tegat corpus; dum spiritus almus
Regia cœlorum Regna superstes habet.

JOHANNES HELD, Past. Gursk.